DE AQUA MARINA DISSERTATIO INAUGURALIS AD MEDICAM LAUREAM...

Leonardo Tofanelli

8

de

Aqua Marina

Dissertatio Inauguralis

Ad Medicam Lauream obtinendam

Leonardi Tofanelli

Adriensis

Patavii

Typis Penada

MDCCCXLII.

All' Amico

A. B.

In questo giorno, in cui vengo solennemente ascritto all' onorevole classe dei dottori in Medicina, mi torna più dolce all'animo quel sentimento d'amore, che mi stringe a' miei cari. E a te, che tengo in cima di tutti, consacro nella pubblica luce questa povera cosa, la quale desidero ti sia pegno di gratitudine, di stima e d' affetto. Colla tua bontà non isdegnerai questo dono troppo tenue al tuo merito, ed in tale accettazione amorevole io avrò la più certa prova che non ti è ingrato il cuore riconoscente del tuo

Amico

LEONARDO TOFANELLI

174

Digitized by Google

Si exacte naturam universam investigemus, nullum productum invenimus, quod rite et logice adhibitum medica careat utilitate. Omnia naturae regna, veneficus anguis, plantae virulentae, sales deleteria virtute praediti a pharmacologiae limitibus comprehenduntur. Etiam mare immensum, praecipuum socialium relationum et culturae efficiens, beneficam actionem in valetudine restituenda exercet. Haec aquae maris medica virtus antiquioribus innotuit, deque marinis balneis jam Aristoteles sermonem habet. In libro *de aëre, locis et aquis* Hippocrates uti auxilium hygienicum balnea maris recenset et diffuse de hisce disserit. Plinius, Galenus et plerique alii veteres medici de hocce argumento loquuntur. Haec vero sufficiant ut clare pateat quod jam aetatibus remotoribus aquae marinae virtus medicos non latuit: argumentum statim suscipiam.

Ut rite actionem et effectus aquae maris super organismum exponamus, oportet prius proprietates physico-chemicas hujus aquae acen-

rate perpendere, ut inde elucest unde virtutem medicam repetat.

Aqua maris, ad littora glauca, prouti a terra distat colorem caeruleum fuscum offert, qui vero color aquae non est, sed a caeli imagine, ab aqua quasi a speculo relata, pendet; haec aqua ergo, si parva quantitate et sine peregrinis materiis examinetur, nullo colore distincta et diaphana adparet. In vitro bene clauso collecta, agitationi in tenebris commissa phosphoricas flammulas profert a zoophytis repetendas. Odorem nauseosum Bergmann, Deslandes et Fourcroy aquae marinae tribuunt, ex materia pingui in ipsa praesente procedentem; hic vero odor quum profundior aqua sit ita imminuitur ut fere inodora praedicari possit. Pinguis materies, de qua superius, a substantiis animalibus, quae in marina aqua decomponuntur, repetitur. Aquae marinae sapor salsus, acer, amarus est, et a plerisque salibus contentis procedit. Hic sapor pro variis locis differt, ita ut minor in mari septentrionali in meridionali magis perspicuus sit, ex eo forsan quod salium quantitas aquae marinae relative in regionibus calidioribus excedat ibi enim evaporatio aquae major est, et sales fluido residuo intensiorem saporem tribuunt, quum solutio magis sit concentrata. Hic sapor salsus praeterea in regio-

uibus profundioribus maris minor ac in superficie et prope littora deprehenditur. Aqua maria organicas continet materias, sed non tam facile in putredinem ruit si in vitro bene clauso colligatur. Aqua collecta per se quieti commissa purior fit, leviores enim partes peregrinae superius tendunt, et sabulum praecipitat. Hujus aquae pondus pro variis locis, pro fluminum proximitate vel distantia, pro tempestate aliisque causis variare potest. Pluries pondus specificum inventum est 1,0289. cum pondere aquae destillatae comparatum. Pro diversis superius enumeratis circumstantiis analysis chemica varia principia diversa proportione in aqua marina conjuncta detegit. Berzelius nos monet quod salium quantitas a 3 2/3 partibus ad 4 in 100 ascendat, quos inter 2 p. et 2/3 salis communis habentur; murias calcis, murias magnesiae et sulphas sodae residuum perficiunt.

Marcet in 1000 aquae marinae partibus invenit 26.06. chlorureti sodii, 4.066. sulphatis sodae 1,0232 chlorureti calcii, 5,0154 chlorureti magnesii — Hi omnes sales uti anhydri considerabantur: aqua simplici ceterae partes constabant. Wollaston etiam sulphatem potassae reperit; alii bromum et jodum, exigua vero quantitate. Aquae maris temperies magis est

constans ac illa lacuum et fluminum. Sequentia vere notanda occurrunt:

1. maris temperies, in superficie procul a littore, boris meridianis inferior est illa atmosphaerae sub umbra, noctu major; mane et vespere aquae et aëris temperies non differunt;

2. prouti magis proxima continentia vel magnae insulae sunt temperies augetur;

3. longe a littore, aquae superficiei temperies gradum superat aquae profundae, atque frigus intensius viget quo major est profunditas;

4. in genere praeterea temperies differt pro varia regione et diversis tempestatibus.

Aqua marina pro usu medico tam interne quam externe adplicatur. Veteres medici balnea marina suadentes ab usu interno hujus aquae abhorrebant. Temporis progressu aqua marina per aliquot dies in vasis asservata interne administrabatur, ut tali pacto *partes aquae virulentae secederent*: hisce verbis utebantur medici aquam maris praescribentes. Dioscorides suadet aquam maris cum pluviali et melle conjunctam sub nomine *thalassomeli.*

Medici posteriores difficulter aquam maris praescribebant censentes quod, quum praecipuum efficiens therapeuticum aquae istius hydrochloras sodae sit, sal scilicet qui quotidie

in usu diaetetico est, nullum effectum medicinalem exereret, quamvis valido stimulo alioqoin ageret in primas vias, vasa lymphatica et glandulas; nam haec organa huic stimulo, licet valido, assueta nullam actionem persentiunt.

Quamvis primo adspectu haec theoria recta videatur, tamen monendum quod aqua maris non ex solo muriate sodae virtutem repetat; quod plura agentia diaetetica therapeutica gaudeant virtute si dosi et tempore debitis praescribantur; et praeterea quod medica virtus aquae marinae ab experimentis compluribus confirmetur, et inde quod facta theoriis, licet luminosis, praeferenda sint.

Revera qui medicam virtutem hujus aquae negat ipsius actionem catharticam forsan negabit? Qui prope maris littora degunt, nautae nullo fere alio remedio purgante utuntur ac aqua ipsa. Aqua marina qua purgans longe praestat in affectionibus scrofulosis si cathartcum remedium indicatum sit. Russel, cujus nominis mentio necessaria est quotiescunque de aquae marinae virtute medica sermo instituatur, in plerisque morbis tali remedio interne usus est. In suo opere *de tabe glandulari* experimenta plura magni momenti de hocce argumento refert. Affectiones scrofulosae, re-

centes viscerum obstructiones, glandularum praesertim intestinalium et mesenterii, arthrocaces, exanthemata complura, tubercula scrofulam sequentia, juxta hunc auctorem, saepe unicum remedium in aqua marina invenerunt. Aqua haec uti vermifuga a Buchan quam maxime commendatur.

Aquae maris abusus ardoris sensum in oesophago, caloris in stomacho, polydipsiam, spasmum ventriculi, vomitum, diarrhoeam, et progressu lentam dyscrasiam scorbuticae similem juvat, quae facillime in nautis occurrit.

Aquae maris interne adhibitae virtus a medicis anglis primitus in lucem edita est; ipsa elata dosi illi utebantur in morbis praesertim systematis lymphatici.

Dosis aquae marinae interne adplicitae est libra una de die, aliquando repetenda. Aqua fontis, hordei decoctum, lac aquae maris commixta illius virtutem temperant; lac ingratum saporem praeterea valdopere imminuit. Aqua maris quae usui interno inservit longe a litore, nec in superficie aequoris est colligenda, ne materie pingui imbuatur, quae quum levis sit superius tendit. Usus modicae dosis aquae marinae diutius produci potest, quin ullo modo organismus patiatur aegrotantis.

Usus vero externus aquae maris frequentis-

simus est. Balnea marina, tum quoad hygienem tum relate ad therapeusim, plures utilitates medicis praebent, quae peculiari ratione attentionem merentur. Hujus validi agentis applicatio summi momenti adparet, quum in valetudine servanda tum in restituenda, postquam plures practici hisce balneis usi sint. Utilitates vero, quae ex adplicatione externa aquae marinae redundant, tum majores erunt quum de hocce argumento theoriam logicis fundamentis innixam et praecepta applicationis invariabilia medici proferant.

Qui conati sunt rationem agendi balneorum maris explicare ut plurimum theorias mechanicas exposuerunt. Certum est quod fluidae vel solidae organismi partes rarefactae aut condensatae, aquae pressio et ingressus per poros, augmentum vel imminutio caloris peculiari modo balneorum actionem adjuvent; sed prima et praestans causa phaenomenorum sub immersione atque ab illa prodeuntium est virium vitalium systematis atque organi cujusvis modificatio a temperie mutata, ab humiditate superficiei corporis, ab absorptione substantiarum medicinalium in fluido adplicito solutarum procedens. Organorum et systematum sympathiae, nervosa irradiatio primum repetunt effectum, atque extendunt.

Cutis organon est, in quod directe balnea agunt; atque exinde universum corpus, universa animalis oeconomia afficiuntur.

Cutis organisatio valde est complicata; quum a membranis, a nervis, a vasis decussatis formetur, emunctorii partis liquidorum, quae nutritioni supersunt officium exercet, organon tactus, absorptionis et exhalationis sedem constituit, et consequenter intimam relationem quum sympathicam tum antagonisticam cum omnibus internis organis habet. Quapropter summi est faciendum cutis studium quum in statu physiologico tum in pathologico, et praesertim sub balneorum actione.

Hic monendum quod plures inter sympathias, quae functionem cutis cum reliquis omnibus nectunt, summam attentionem mereatur augmentum, vel imminutio internae exhalationis prouti imminuitur vel augetur exhalatio cutanea.

Balnea ergo marina in systema circulationis arteriosum, venosum et capillare vim suam exercent, et praeterea peculiari ratione afficiunt tactum, systema lymphaticum, functiones exhalationis et absorptionis, calorem cutis, physicas hujus integumenti proprietates et organa splanchnica in tribus praecipuis cavitatibus collecta; uno verbo nullus fere textus, nullum organum

existit, quod balneorum actionem plus minusve non percipiat.

Si balnea marina speciatim consideremus, caloris subtractionem perpendere primitus oportet.

Intra gradum 15 et 15 temperiei atmosphaericae corpus humanum bene se habet ita ut nec frigoris nec caloris sensum accuset. Si subito temperies imminuatur, ita verbi gratia ut vix gradum 5 Th. R. attingat frigoris sensatio incipit. Id percipimus sub balneo marino, propter discrimen quod inter corporis et aquae temperiem intercedit. Neminem vero latet quod hoc discrimen pro individuali constitutione, pro climate, pro tempestate aliisque plurimis circumstantiis longe differat.

Quum in contactum corporis humani aqua frigida venit, ut aequilibrium intra corpus et ambiens fluidum restauretur, calor organismo subtrahitur, et primitus peripheriae — ut vero organismi temperies aequabilis restet statim superficiem humores calorico praediti petunt, ita ut sub vivido sanguinis adfluxu et calorici, praecipui scilicet vitae efficientis, praesentia hic organorum complexus suas functiones cito et validius exercent. Si vero actio corporis adpliciti temperie inferiore distincti continuet, nova caloriei jactura succedit, ita, ut in poste-

rum universus organismus defectum hujus imponderabilis fluidi patiatur. Hinc patet quomodo diversus prorsus effectus pro varia balnei duratione haberi possit. Functionum cutis excitatio, circuitus sanguinis expeditio primam sequuntur adplicationem — jactura calorici ingente et vitae totius imminutione dein superaccedentibus.

Alia ratio summae utilitatis balneorum maris in salibus solutis consistit, atque in ipsorum dynamica virtute. Hydrochloras sodae praevalens egregium remedium solvens constituit. Illius actio in systemate lymphatico glandulari prae ceteris systematibus manifesta adparet. Externe adplicitus vehementer cutem irritat, si praesertim tenella sit, incipienti adversatur putredini, atque efflorescentiam quandam et erysipelaceam dermatitidem producit. Interne considerari potest uti remedium indubiae utilitatis in congestionibus pituitosis, in primarum viarum impuritatibus et in affectionibus generalibus glandularum. Alia chemica agentia in aquis marinis soluta salis communis actionem adjuvant.

Modus praestans balnei maris instituendi suadet ut aeger, ni peculiares contraindicationes id negent, mare apud littora ingrediatur. Tum praeter auxilia superius relata in hoc bal-

neu habemus etiam peculiarem mentis incitationem, et fluctuum succussionem, quae efficaciter in organismum agunt. Si natatio accedat et ipsius utilitates obtineantur.

Mare immensum ingredi ut balnea instituantur, uti diximus, praestat: non semper vero id aegroto conceditur; et tum domi balnea institui possunt; aquae temperiem aegro adcommodando, illumque actioni nimis vehementi fluctuum subtrahendo, vel etiam metui, si debilis nimis sit vel pusillus.

Accuratius effectus balneorum maris investigantes distinguunt primarios sub ipso scilicet balneo locum habentes a secundariis vel reactionis successivae.

Initio liquidi pressio balneum ingredientis respirationem difficilem aliquantum reddit, et temperici mutatio horripilationes inducit. A peripheria haec, ut ita dicam nervosa succussio, centrum petit, istantanea oppressio succedit, sed statim circuitus sanguinis magis activus fit ut jacturae peripbericae calorici organismus provideat. Horripilationibus praegressis spasmus peripbericus jungitur, cutis anserina habetur, pili erecti videntur, sensus aegritudinis, tremor levis adsunt, respiratio irregularis accelerata, imperfecta conceditur — dein vero, viribus vitalibus reagentibus, symptomata relata

disparent cutis rubra cernitur, celeritas et frequentis pulsus augetur, sensus ingruit obtectamenti, quae novitas disparent balneo diutius producto; pulsus enim frequentis imminnitur, respiratio lentior fit, horripilatio nova succedit, cutis pallida ubique cernitur, crampi locum habent, denique actio vitalis universa infirma adparet.

Symptomatum expositorum successio frigoris actionis superius relatam theoriam defendit.

Si vero gradus temperiei aquae minimus sit, frigus, praecipuum agens hoc in casu textus magis densos reddit, et hinc corporis peripheriae extensio imminnitur, liquidi aqua densioris pressione et fluidi motu superaccedentibus. Tum humores qui physiologice textus externos intrant ad centrum refluunt, sanguis organa interna adgreditur functiones impedit, dolores producit.

Tali pacto cephalalgia, epigastralgia, nausea, vomitus, dolor sub sterno, quae sub balneo quidam patiuntur, expliceantur; cor ut obstipationem textuum illorumque resistentiam vincat conatus auget, vasa vero membrorum constricta parvam tantummodo sanguinis quantitatem admittunt, hinc necesse venae internae fere obstruuntur, ita ut sub protracta actione balnei frigidi congestiones funestae haberi possint.

Respiratio hinc oppressa et difficilis fit, perspiratione cutanea suppressa, urinarum excretio abondat, et exhalationes pulmonales et tramitis digerentis copiosiores fiunt. Textus muscularis fere stupefactus rapidum, vix perceptibilem motum, solummodo edit, fibrillarum enim muscularium contractio permanens est, deficiente relaxatione. Cerebrum male afficitur, regulares motus et voluntarios inducere nequit, crampi membra praesertim inferiora adgrediuntur.

Balneorum frigidorum actio in systemate nervoso praesertim manifesta adparet; cutis spasmus, complurium functionum aberrationes, motus alienationes, tendinum subsultus, singultus et alia hanc actionem praevalentem ostendunt. Idem vero systema nerveum in posterum a balneo frigido sedatur, idque nos docent functionum languor; sensilitatis cutaneae imminutio atque cessatio vel saltem mitigatio sub balneo frigido satyriaseos, nymphomaniae et symptomatum plurium insaniae.

Effectus secundarii balnei marini sunt textuum, cutis praesertim, robur, organorum energia, uno verbo activitas major in omnibus functionibus exercendis.

Balnea marina hisce virtutibus praedita pluries ad valetudinem restituendam adhibentur.

Saepe brevi balneorum curriculo rapidissime aegri debiles et languidi valetudinem reparant optimam, ita ut post tres quatuorve hebdomadas ita adspectum mutent ut vix agnosci possint. Nec exaggerationis aut mendacii suspicio insurgat; ipse enim vidi puerum herpete scrofuloso laborantem, spinam ventosam in quarto metatarso pedis sinistri et tumores in glandulis lymphaticis colli atque in regione infrascapulari dextera offerentem pallidum, emaciatum fere tabidum, postquam per mensem balnea marina adplicarentur, cutis mollitiem et venustatem reparare, cicatricem ossis cariosi et ulceris respondentis in pede sinistro offerre, glandulas lymphaticas prius tumore perspicuas penitus normales ostendere, et purpureas genas ac bonam praeseferre nutritionem. Hasce praeter utilitates balnei marini usus cutem a vicissitudinibus atmosphaericis valide defendit, ita ut egregium auxilium hygienicum constituat.

Morbi, in quibus balnea marina medici suadent, sequentes sunt.

Febres intermittentes. Quum febres intermittentes saepissime ex infarctu procedant hepatis, lienis aut etiam glandularum mesenterii; quum balnea moderate frigida circuitum sanguinis expediant; quum sales in aqua marina

contenti, vi solvente donentur, in febribus intermittentibus balnea marina praescripta sunt. Currie, Marcard, Buchan, Huxam, Le François hunc usum commendant. Medici Angli complures sub ipso accessu febrili balneum maris suadent, stadio tamen frigoris peracto.

Uti auxilium prophylacticum balnea maris adhiberi possunt, saevientibus cholera, aut febribus epidemicis carcerum aut nosocomiorum. Hildanus refert quod peste grassante balneum marinum perutile visum sit.

Classis inflammationum plures casus offert, in quibus aquae salinae balneum bonos effectus promittit. Rheumatismi chronici musculares et fibrosi huic auxilio saepe cedunt. Arthritis non raro a balneis marinis, tempore aestivo institutis, sanabatur. Qui affectionibus catarrhalibus obnoxii sunt saepe a mala hac dispositione balnei marini usu liberantur. Ophtalmiae chronicae indolis scrofulosae, rubore palpebrarum, scleroticae et dolore intenso deficientibus, balnea marina exigunt. Fluor albus, ophtalmo — blennorrhoea pertinaces hoc simplici balneo saepe fugabantur. Russel aliique medici complures praescriptioni internae aquae marinae et externam addunt in scabie et impetiginibus. Huic praescriptioni auctores alii adversantur. Mihi tamen videtur quod nullum damnum balneorum

maris applicationem in scabie sequi possit, quum praeterea nautae rarissimae scabie corripiantur ob frequentem forsan aquae salinae contactum.

Praestantia balnei marini praesertim in haemorrhagiis feminarum perspicua est, quum alia ex parte etiam fluxus menstruus ita advocari possit. Eadem saepe causa, idem morbus, sed quoad gradum differens, vel haemorrhagiam vel retentionem inducere potest, nil ergo mirum si idem remedium utroque in casu conveniat. Montègre putat quod balneum maris praecipuum sit haemorrhoidum remedium.

Nevroses plures a balneis marinis sanatae sunt. Has inter convulsiones infantum, chorea S. Viti, epilepsia, hypochondria. Whytt hoc balneum suadet etiam in hydrophobia. Hystericae affectiones sub balneo marino mitiores fiunt, nec medici hisce in morbis immersionem frigidam timeant, aegrae enim frigus optime sustinent.

Cardiopalmus, agrypnia similiaque symptomata saepe a balneo maris fugabantur. Inter omnes mentis allenationum species idiotismus melius aquae maris actionem experitur. Affectiones scrofulosae, paralysis sphincterum ani aut vesicae, enuresis, atonia organorum genitalium, debilitas ex onanismo tali ratione saepe vincebantur.

Balnea maris commendantur in rhachitide, revera haec affectio a pluribus medicis uti unum idemque cum scrofula confunditur. Systema lymphaticum praesertim actionem percipit aquae marinae, ergo in scrofula, morbus qui praesertim hoc systema afficit, balnea marina indicantur — scrofula mesenterica, tumores glandularum lymphaticarum colli, strumae, bronchoceles, impetigines scrofulosae, tumores albi, spinae ventosae, tum etiam quum exulceratio et caries inceperunt, ab aqua marina sub forma balnei optimum auxilium exspectant.

Haec balnea medici complures in hydrargyrosi suadent, nec non in elephanthiasi.

Tametsi boni effectus, quos therapia a balneis marinis habet, complures et perspicui sint non est tamen suadendum quod quovis in morbo, omnibusque individuis, aetatibus, constitutionibus haec balnea conveniant.

In genere plures medici vetant hoc remedium:

1. in obstructionibus; quamvis utilitates in febribus intermittentibus ab hisce balneis prodeuntes huic opponantur sententiae —

2. in iis qui tussi habituali laborant vel phthisi obnoxii sunt —

3. in morbis organicis cordis, in haemorrhagiis activis; monendum vero quod balneum

frigidum in morbo phlogistico logico medico potius utilitates quam damna promittat —

4. in puerperio —

5. sub menstruatione.

Balnea maris contraindicantur, quum adfluxus sanguinis ad organa centralia tristes effectus minetur. Non raro enim apoplexia contingere potest. Quum mente volvamus quod balnei frigidi usus vires et reactionem validam exigat, nil mirabimur si diarrhoeas aliaque profluvia pertinacissima in pueris haec balnea producant.

Senes itidem balnea marina frigida respuunt — affectiones cerebrales enim, congestiones praesertim, illa aetate frequentissimae, balnea prohibent, quum praeterea calorificatio, aetate provecta nimis lenta, calorici subtractioni adversetur.

Qui eruptiones, ut ita dicam, salutares, qui sudorem pedum patiuntur balnea marina vitent, ne, morbo mitissimo praesente fugato, pejores in scenam prodeant.

Adolescentia et virilitas prae ceteris aetatibus marina balnea postulant.

Ut vero utilitates quae recensuimus attingantur, ut damna exposita sub balneis marinis vitentur, cautelis praemissis ne submersio, alioquin facilis, succedat, necesse est ut

aeger regimen servet exactissime medici praeceptis respondens. *In balneis non est praevaricandum.* Dieta ergo moderata, sana, bene nutriens, corporis temperies modica sudorem fovens, vestis ab atmosphaericis injuriis defendens, motus convenienes, animi exhilaratio a medicis quam maxime commendantur — taliaque praecepta solummodo adimplendo balneum marinum, quod egregium remedium rite adhibitum praestat, in aegri perniciem uti potentia nocens agens vim suam non exercet.

194

THESES DEFENDENDÆ

1. *Retentiones et profluvia ex eadem causa saepe pracedunt.*

2. *Idem remedium retentioni atque profluvio saepe opponendum.*

3. *Balnei marini virtus ab aliis circumstantiis magis quam e salibus contentis pendet.*

4. *Aquae minerales artificiales, quamvis eadem principia exacte ferant ac naturales, nunquam eundem effectum praebent.*

5. *In plethora sanguinea sanguinis emissio cordis et arteriarum motus validiores, saepe reddit, non imminuit.*

6. *Falsum quod in substantiis vegetabilibus azotum desit.*

7. *Plurium medicinae scholarum, adparenter plane oppositarum, differentia potius verba quam substantiam et praxim respicit.*

8. *Remedia tam interne quam externe eadem ratione agunt.*

3882

Google

DE DIABETE
DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD DOCTORIS GRADUM IN MEDICINA
ASSEQUENDUM

IN IMP. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

DIE MENSIS AUGUSTI MDCCCXXIII

DEFENDENDAM PROPONIT

JOSEPH TONDINI

EX GUBERNULO IN PROVINCIA MANTUANA

PATAVII

EX OFFICINA VALENTINI CRESCINII

MDCCCXXIII

De Diabete

Hic morbus ab antiquis Medicis parum admodum observatus fuit, et Galenus ipse duos solummodo aegrotos Diabete laborantes in sua praxi vidisse affirmat.

Graeci Medici huic morbo διαβήτης nomen imposuerunt, Latini vero Urinae Profluvium appellarunt: quem morbum illustris Odier in Volumine secundo sui operis, cui titulus; *Lectiones Medicinae practicae* distinxit in Diabeten saccharosum a materia praeponderante saccharata et fermentationi proclivi, et Diabeten insipidum a deficientia illius materiae. Recentiores Clinici satis, non vero abunde, de hoc morbo scripserunt. Nos itaque in nostra hac thesi aliqua adjicere circa hunc morbum statuimus; et propterea definientes eum dicimus, Diabeten esse morbum, in quo mediante urinae affluxu praeternaturali et morboso, lotium adeo copiose ab aegro elicitur, nihil fere demutatum immodice sub aquae specie crudae, ut quantitatem ingesti potulenti liquidi liquoris mirum in modum exuperet, et paullatim incrudescente morbo, olenm ipsum animale, pinguedo quasi liquefacta per canales Uropoieticos, et ipse chylus ab aegrotante separentur.

Tres Diabetis species Neoterici distinguunt. Prima species est Diabetes *vera*, in qua aeger Urinam naturalem siquidem sub exuberanti copia et frequentia sine gravi incommodo expellit.

Secunda species est illa, quae *Notha* sive *Spuria* dicitur, quando aeger cito nimis et frequenter urinam dejicit multum a naturali colore mutatam, et substantiae paulo ante assumptae formam retinentem.

Tertia demum Chylosa appellatur, in qua scilicet ipsae chylosae substantiae parum vel nihil immutatae cum urinis effundnntur, quae revera luctuosa admodum Diabetis species, de qua Araetaeus scripsit: *in hoc morbo miraculi ad instar, carnes hominum et pinguedines per Urinam separantur, et totum corpus ad maciem perducit.*

Incipiente aegritudine, Urinas majori in copia quam par est, homo absque gravis injuria separat, nec ipsae Urinae morbosae apparent; invalescenta antem morbo Urinae copia valde augetur cnm continua mingendi voluntate atque molestia, et in urethra imo ipsa glande titillatio atque sensus spasmodicus percipitur; insuper appetitus fortiter viget, sitisque quasi inexplehilis cum fauciuum ariditate aegro supervenit. Lotium vero valde spumosum, albescens, turbidissimum evadit; totum corpus ab nrenti calore torquetur, anxeitatibus etiam atque internis cruciatibus vigiliisque exagitatur. Quod si Diabeticus perumper a mictione se abstineat, statim illi Ilia, Lumbi, Poerineum, Testes dolent; Coxae, maximeque Renes intumescunt; Febris hectica plerumque aegrotanti supervenire solet, cui aestus in visceribus etiam aliquis inesse videtur; totum ejus corpus paullatim emaciatur atque tabescit; demum anorexia et totali viscerum Chylopoieticorum languore correptus, inter convulsivos motus et deliria virumque defectionem cum extremorum tremore ac frigore tam misere detinetur, ut ad desperationem quandoque redactus ipsius vitae finem abrumpere cupiat atque perquirat.

Urinae Diabeticorum Chymice pertractatae a praeclarissimis illius artis Professoribus, haec praecipue observanda praebuerunt. Eximius Thenard inter alios in Diabeticorum Urinis primum exuberantem copiam aquosi humoris invenit, deinde plurimam saccharinam substantiam observavit, quod pariter affirmatum fuit repetitis experimentis a dili-

Google

gentissimo Marabellio. Praeterea Theuard ipse in Diabeticorum Urinis, quod mirum est, Acidum Uricum non reperit, quam certe substantiam in Urinis naturalibus passim Chymici attentissimi observarunt; et contra in hisce Diabeticorum Urinis portionem multam Phosphati atque Sulphati detexit, quae portio Tincturam Lacmi Italice *Tornasole* in rubrum tingit, praetereaque sale muriatico admodum abundat. Postremo in iisdem Urinis Olea pinguedinosa, et Substantiae animales, ipsaque si iis placet, Chylosa materies parum aut nihil immutata inventa, fuerunt.

De Causis verba faciens, aliae externae, internae aliae esse possunt. Et primum ot de interuis loquar, lassitudo, et debilis admodum compages Viscerum uropoieticorum proxima est causa Diabetis. Quod Vitium cum Stomachi praesertim et viscerum omnium Chylopoieticorum atonia conjunctum est, idcirco Scriptores nonnulli hanc aegritudinem quasi Ventriculi Lienteriam appellare non dubitarunt, cum viderint in hoc morbo Chylosae ipsae materiae parum aut nihil commotae a Ventriculo ad Uropoietica Vasa per quam citissime transire atque effundi. Notavit jam *Celsus* in Capite XXVII Libri septimi agens de Cancro consensum inter Vesicam et Stomachum, ubi sic ait: *Orto Cancro saepe adfici Stomachum, cui cum vescica quoddam consortium est: exque eo fieri, ut neque retineatur cibus, neque si quis retentus est, concoquatur neque corpus alatur.* Acredo insuper eximia, aut salina, aut scorbutica, et qui dyscrasia humorum laborant, quae sanguis crasim fere dissolvit, colliquat, et in serositatem quandam morbosam inducit, hunc luctuosum morbum promovere potest: stomachi quoque diuturna debilitatio atque atonia, subsequens causa est hujusce morbosae affectionis, per quam aeger in consumptionem et maciem totius corporis inducitur.

Diabetes etiam aliquando cum morbis acutis atque

inflammatoriis Renum praesertim et Urinariae Vesicae conjungitur, aliae tandem permultae causae hunc morbum promovere queunt, inter quas drastica Purgantia per longum tempus adhibita, et praecipue intempestivus Cantharidum usus tam internus quam externus enumerandus est, item abusus Liquorum omnium spirituosorum et speciatim ex aqua sic dicta vitae sive alkool, aliorumque similium; ipsa quoque lues Gallica, et virulentae Gonnorraeae protractae: exercet porro hic morbus recentes sponsos, tum alios, qui nimium Veneri indulserunt; et abusus in senibus diabeticam morbosam affectionem excitare possunt.

Clarissimus Lommius de hoc morbo loquens in libro secundo ait, *Diabetes teterrimum* morbi genus « est, in quo ubi quis incidat, fere nunquam salvus « evadit, et diutissime et propemodum sine remedio « conflictatur. Si tamen recens sit, et in juvenibus in- « cidat, aliquando curatus fuit; in senibus vero me- « delam non admisit, et aegros ad lentam tabem et « consumptionem perducit. »

Sanguinis emissiones in hoc morbo locum non habent, exceptis illis casibus, in quibus plethora manifesta appareat in principio morbi, aut irritativa inflammatio ad Renes, ad Ureteres, ad Vesicam urinarium praecipue in juvenibus. Clysmata potius emmollientia convenire possunt, quando dejectiones alvi sint admodum suppressae.

Sed et aliqua etiam externa remedia in Diabete locum habere possunt: exempli gratia fomentationes ex decoctionibus Plantarum aliquo pacto adstringentium ad regionem Renum, ad Pubem, ad Poerineum aliquod solamen afferunt; decoctiones Corticis peruviani et Radicum Symphiti majoris Linnei, corticum Malorum Aurantiorum; tandem etiam Immersiones in aqua frigidiuscula, et semicupia, lotionesque ipsae Thermales ad Renes, Poerineum applicatae

aliquando in Diabeticis levamen et medelam praebuerunt, sed ut de internis Remediis dicam, Purgantia drastica et fortiora in hoc malo non conveniunt, et levioribus solummodo utendum est: hinc Cassia, Manna, Pulpa tamarindorum sero lactis commixta plurimum juvare possunt, et alia similia.

Aliqui porro Medici absorbentibus sic dictis usi fuerunt: hinc praeperationes Coraliorum rubrorum, Oculorum Cancrorum cum aliquo juvamine adhibuere, et pulveres quoque adstringentes ex Bolo Armeno, Terra sigillata, aliisque similibus in usum contulerunt in Diabete pertractando.

Sed si morbus, ut frequentius evenire solet, ad maciem universalem pergat, iis remediis utendum erit, quae in tabe Pulmonari medenda maximum locum tenent, lacticinosis nempe et incrassantibus, inter quae Diaeta lactea, inde Lactis usus Aqua Brandule permixti, aut etiam illi B. M. Virginis de Monte Ortone; insuper et jura carnium glutinosarum, ex carnibus Viperarum, aut juvenum Animalium in usum veniunt, aliaque quamplurima Medicis satis nota atque probata. Tandem si Morbus fortunate ad valetudinis statum pergat, quod rarum profecto est, ad Martialia atque Corroborantia majora confugiendum erit, videlicet ad Tincturam Chinae-Chinae, ad illam Martis, ad Aethiopem martialem, et ad continuatum usum Aquarum Acidularum Recoboarii, aliarumque ejusdem indolis proprietatisque.

Ad Dietam vero quod attinet: crebro Alimentis equidem tenacioribus primum, inde incrassantibus et nutrientibus uti debet aeger, qui diabeticus fuit et ab eo morbo liberatus, eo tamen modo, ne Stomachi vires jam debilitatae nimia ciborum copia opprimantur; insuper abstinere se debet ab usu Liquorum omnium spirituosorum, et ab omnibus, quae aut nimiam irritationem in vasis Uropoieticis, vel atoniam aliquo modo inducere valeant.

THESIS

I.

Diabetes in juvenibus, et a levioribus causis excitatus curari potest; cum vero senes adoriatur, ipsos ad tabem totius corporis, et ad marasmum paullatim perducit.

II.

Si in Diabete Stomachi vires adeo debilitentur, ut Chylosae ipsae substantiae parum aut nihil immutatae per vias Uropoieticas sibimet viam faciant, morbus fere incurabilis evadit.